

A

1217  
—  
—  
VII.  
—

319.ig.jegyzék  
Régi nyomtatványok, Áll.lvlt., Radvány.  
1.cim: A jegyzék szövege.



9/1963 sz-hoz.

LOK

Zoznam spisov určených na fotografovanie pre MTA  
č.319.sz.  
fényképezési igényjegyzék.

- 1/ Levéltéri intézet: Štátny archív, Radvaň  
nad Hronom.  
Állami lvlt., Radvány.
- 2/ Tematika: régi nyomtatványok.  
Staré tlačivá.

A kutatás és a jegyzék összeállítása  
Borsa Gedeon munkája.

Výskum prevádzal a zoznam zostavil  
Gedeon B o r s a.

A fényképezés módja:

Az általános utasítás szerint. Az egyes felvételek jelzetfelirata:  
"Régi nyomtatványok, Áll.lvlt., Radvány:".

Spôsob fotografovania:

Podľa všeobecnej inštrukcie. Nápis jednotlivých záberov: "Régi nyom-  
tatványok, Áll.lvlt., Radvány:".

./.

Régi nyomtatványok, Áll.lvlt., Radvány:  
/319.ig.j./



RADVÁN, archív

Könyvtár:

- XI.b./305/=2212v. 2216a koll.14.tagja Ver Illustrissimum...Georgio Drugeth de Homona...Maria Esterhazi... Tyrnaviae, 1652. 4<sup>o</sup> 16 levél. II.769b 17□
- XI.b./305/koll.13 =2212v.2216/uj j./ Parapherna Augusta...Francisco Prini Helenae Vesseleni...Posonii, 1637. 4<sup>o</sup> 16 levél. II.514b 7□
- XI.b./305/=2212v. 2216 koll.12.tagja, Sacrum Nuptiale...Eliae Parschitii... Barbarae Drösdikae... Trenchinii, 1652. 4<sup>o</sup> 12 levél. II.781a 13□

3 db. nyomtatvány, kb. 37□

*heide langhütte  
veralt h.*

Régi nyomtatványok, All.lvlt., Radvány:  
/319.ig.j./



47  
319.ig.jegyzék  
Régi nyomtatványok, Áll.lvlt., Radvány.  
2.cim: 1 - 3 tétel.végig.




Et tamen, externis, Patriâ tellure relicta,  
Tecum, Sponse, cupit vivere Nupta locis.  
Lumine vel Solis Tibi clarius inde patescit,  
Quàm Te nunc amet & semper amare velit.  
Hanc ergo parili non complecteris Amore,  
Qua Te quàm chari plus amat Ora Patris?  
Hinc discedentem caram mihi ploro Sororem,  
Nec tamen invideo, quod pia fata volunt.  
Quas struitis grator penito de Pectore Tadas,  
Et votis votum perbreve jungo meum.  
Sed quod? multa vovent multi obtingentia nunquam,  
Tot, quot vix quisquam videt in orbe, dies.  
Hinc videas plures, deductum claudere Carmen,  
Sive Annis, Nestor, sive Sibylla, tuis.  
Ast ego nil horum voveo: voveo omnia habentem.  
Illum quisquis habet, cuncta beatus habet.

ita novis Sponsis gratulabundus  
precatur Sponsæ Germanus,  
Wenceslaus Glogerus.

SCHLEGELIDE, meritò quem fama celebrat in orbe,  
Attamen eximium re magis esse puto:  
Docta quidem thalamo cantandum est carmina Vestro;  
Sed vena in versus nunc mihi parva fluit.  
Quod potero, id faciam, & precibus venerabor JÖVAM,  
Ut beet omnimodis, Teque, Tuamq; bonis.  
Instar felicis, famâ celebretur in orbe,  
Attamen hic felix re magis esto torus!

L. Mq. Facieb.  
Johannes Daniel Major. Præt. S.




Redvány: All. lvt., Redvány:  
Régi nyomtatványok, /319. i. é. j. /

20m. 5. 210  
2. jel. = 10. 21. dip  
10

Sacrum Nuptiale,  
Reverendi & doctissimi Viri, Domini  
**ELIÆ PARSCHITII,**  
Diaconi Ecclesiæ Trenchin, fidelissimi,  
S P O N S I:  
Generosæq; & pudicissimæ Matronæ,  
**BARBARÆ DROSDI-**  
K I Æ,  
S P O N S Æ,  
d. 10 Novem, Anno 1652.  
Celebravit  
Gymnasium Trenchiniense.







Gymnasium Lectori.

**S**I non est ficto Splendor fucatus in ore;  
 Nec venio nitidis Nympha superba genis;  
 Si magis est cultus nobis, quam pulcer, honestus;  
 Si gressu strepitus, si tumor omnis abest:  
 Si neq; sum Phœbi, Phœbi neq; cura sororum;  
 Si nœvos oculus quos sibi signet habet:  
 At saltem niveus teneat mea pectora candor:  
 Quisq; meo quidvis cernat in ore sibi.  
 Filia si Summi, si maxima cura Parentis,  
 Arcibus æthereis si traho Diva genus.  
 Est Mater Pietas: Genitor, cui paret Olympus:  
 His repens etiam pulso vel astra poli.  
 Ne cultus ride: cultus coluisse JEHOVAM  
 Est meus: ad cultum nil tua, culte, meum.  
 Quem cultum dat JOVA, sat est; erit (imminet & jam)  
 Quando tuum cultu, Sol. hebetabo jubar.  
 Me colit omne solum: nostro nil floris ab horto  
 Qui tulit, hic Matrem pondus inane terit.  
 Perpetuæ nostris sum causa salutis alumnis,  
 Sideribus patrium pingere nata polum.  
 Hæc mea laus; quovis contracto robore quovis  
 Ingenij, genij, si potes, eja rape!

Thesau.

**T**hesaurum quidam quærunt multumq; diuq;  
 Quamvis sat quærant, nec tamen inveniunt.  
 Dum sibi non constant quod sit præstantius inter  
 Fortunas amplas, munus in orbe bono.  
 Occidimus! Dicunt qui quærunt anxia corda  
 Deliciæ Æolicis abripiuntur equis.  
 Quæramus primò quod nam sit carius inter  
 Fortunas amplas, munus in orbe bono.  
 Expecta, alter ait; cito nuncia læta videbis,  
 Expecto. Sed ubi nuncia læta manent?  
 Præsto: Thesauros Socius vir gloria vincit,  
 Thesaurus Conjux corda beata facit.  
 Dives ut evadas Socij; fruaris amore  
 Nec minis ut Sociæ, ad Numina funde preces  
 Vitæ qui Sociam reperit castam invenit amplum  
 Thesaurum, quo non major in orbe datur.  
 O anima ad Christi curras dejecta cubile  
 Hæc alter dixit voce gemente sibi.  
 Vix dixit; reperit carum quem quærat amator:  
 Quod dixit invenit? quod tenuit, perit.  
 Cur igitur quo nil preciosius extat in orbe  
 Absq; dolore pii nomen habere cupis?  
 Quid faciam? amissum thesaurum quærere pedibus  
 Ardua tentando Teucris capta fuit.  
 Ast nemo poterit gemitus sanare, dolores,  
 Excepto Jovâ tollere nemo potest.

Ad Jo.

Regl. nyomtattanyok, All. 1. 1. 1. 1. 1. 1. / 319. 1. 8. 5. /



*Ad Jovam ex animo rursus mea dirigo vota,  
Theaurum magnum da Pater alme mihi  
Quâ me cunq; fero Celebs fero tristia mecum  
Gaudia: sic famuli jam miserere tui.  
Quando dies venient, quæis vivet amabile FIET?  
Quando mihi dices? Incipe, compos eris.  
FIT, reperi Mystam thesaurum: Tu meus esto,  
Dicere cui possum, portio magna mei:  
Cor fieri totum cupio non portio Mysta  
Tu quoq; sis unum corpus & una caro.  
Unum quo duo sint sancivit corpora Jova  
Plastes quos junxit, dividat haud alius  
Plastes quos conjunxit quo sint unus amor, cor.  
Una fides, votis Astra fatigo meis.*

Andreas Horvat Veterosolien-  
sis Gym. Tren. Rector.

**U**T bene conveniunt; ut lumen amabile fundunt  
Undiq; par clarum, Barbara Parschitius!  
Trenchinii Juvenum primus virtutibus alter:  
Altera Fœminei gloria rara chori.  
Videris hos, non, dixeris, hos conjunxit amicus;  
Aut Pater, aut Socii cura fidesq;ve boni:  
Non homo non genius, calûsve laborve, vel orbi  
Quæ Dea par fertur, quem premit ipsa, levi.  
Vincula, non opus hic, quocunq; Deove Deave,  
Conjunctura duos qui fabricaret, erat

Ipse

*Ipse suam se Parschitius te, Barbara, traxit;  
Ipsaq;ve Parschitium, Barbara casta tuum.  
Consensus quis non tacitos videt undiq; rerum?  
Res cœco scindi Marte quis orbe neget?  
Pone duo; vix se cernent; junguntq; secantq;ve  
Nota futura minus bellaq;ve paxq;ve tibi.  
Sic timet agna lupum; tua sic, prænuncie lucis,  
Accipitrem soboles vix bene nata fugit.  
At mage quid ferro durum? tamen ecce trahentem  
Magnetem nullo conciliante petit.  
Non lapis Elias, rigidum non Barbara ferrum:  
Non ea mens studiis cognita vestra suis.  
Verbis, Mysta, tuis ferrumq; petræq;ve liquefcunt,  
Ut non cera levi mollis ab igne magis.  
Et juvat atq;ve die Matronam suscipit omni,  
Tantarum rerum conscius ille locus.  
Sentiât hoc sensus expers ferrumq;ve chalybsq;ve,  
Quod minimè mentes has penetrare queat?  
Curtua, Parsiti, caperet quæ corda puellam,  
Quæ tenuit te, non urbs dedit ulla tibi?  
Cuprifetumve Neosolium, crociferve Priviczæ  
Tractus, munitæ sceptrave Cassovia.  
Re loca non ulla teneris non casta puellis;  
Et satis in dotes officiosa tuas.  
Te talem juvenis cur Barbara nullus amavit,  
Reddere tu velles cui in amore vicem:*

A 2

At cer.



At simulac spectasq; tuum spectaris & illi  
Et capis & placidum tu quoque pectus habes?  
Et quamvis nec tu calidæ de more Juventæ;  
Nec præceptis animo pareat ille suo:  
Nec mora vos mutat, pietas virtute nec obstat  
Perpetuæ comites consiliumq; duæ.  
Haud Pater, haud sanguisve pius sociusve fidelis;  
Ritève qui vos, qui fasque piùmque colunt.  
Scilicet una tuo potuisti *Barbara Elias*  
Cor recreare, cor ac unicus ille tibi.  
*Barbara* nec thalamos, thalamos nec vidit *Elias*  
Nullus ut *Elias*, *Barbara* nulla fuit.  
Non tuus ELIAS, oculo tibi simplice, cordis  
(Non ea vis oculis) misit in ima faces,  
Imi vis oculis animi tunc sedit in illis;  
Corda vehunt oculi *Parstiana* tibi.  
Omnia sic penetrans coalescit pectore pectus;  
Corde tuo vivit *Barbara Parschitus*.  
Quid faceres? complexa in unum neque pectora pectus;  
Excussisse vales; nec satis ipsa voles:  
Et capis & cupis *Eliam* bene; pectore vivis  
Non minus illius vivit ut ille tuo.  
Et favet & fovet, *Elias* bene: vellere diro  
Vulnere quis malè quæ sic cõiere velit!  
O bene conjuncti! dos crescit ut utraque junctis:  
Convenit illa suo; convenit ille suæ!

Digna

6

Digna viro conjunx! vir conjuge dignus! ò impar  
Par nullâ penitus nobile parte sibi!  
Ut bene conveniunt, ut lumen lumine gaudet.  
In te par clarum, *Barbara Parschitus*!  
Pectora quis visus penitus fugientia nostros,  
Luminibus fieri tam manifesta putet?  
Nec tua *Parschiti*, nec quis tua *Barbara* vidit  
Pectora, vos videat pectora vestra videt:  
Sic nitet atque decet, sic datque capitque decorem  
*Parschitio* claudens *Barbara* juncta latus!  
Verba nec emittat, radiis nec pulset *Eliam*:  
Mens geminâ, dices, unica carne sedet:  
Clamat idem species taceant ut cuncta duorum,  
Nescio quæ junctis cuique probanda venit.  
Lumina non mendax errantia ludit imago,  
Rem species oculis subjicit illa tuis.  
Sunt, (dubitas?) Pietas, Virtus, (quæ numina!) testes,  
Quas sibi par comites nobile semper habet.  
Hâcne Deas larvam passura fuisse putares?  
Ne dubita, Divas larvaque frausque fugit.  
Quin par ipse vide; jam sunt tua lumina testes;  
Cernis in hoc quid enim par minùs, ipse pari?  
Sunt anniq; pares viridis vigor atque juventæ;  
Est bonus eximiae sanguis utrinque domus.  
Parq; statu splendor, diverso, famâque lausque:  
Floret uterq; bonis, floret honore pater.

Singu-

7



Singula quid memorem? domus an quoque lumina poscit,  
 Luce sua cunctis quæ satis ipsa pater?  
 Quodque rei caput est; quo par hoc nobile par est:  
 Par virtutis honor, par pietatis amor.  
 Finge pari nihil esse paris; tamen addito Divas  
 Cuique pares; impar est nihil ecce pari!  
 Non viduæ viduus, juvenis sed jungitur, inquis?  
 Adde Deas, ut vis corrigis ista tibi.  
 Dotibus ille refert animi viduumque; senemque;  
 Dotibus est Virgo pectoris illa sui.  
 Vel viduæ viduus, Juveni vel protinus ecce  
 Virgò, pari cuncta jam ratione venit!  
 Quid referam, quod quisque videt: quicumque negabit  
 Advocet hæc serie fas sibi quæque sua.  
 Nec mora, conveniunt, clamabit nomen ad ipsum:  
 Par tamen hoc omni par quoque parte canit:  
 Nomine de Sponsi crux, & procul aspera cedant:  
 (Non fas indigna nomina sorte premi:)  
 Inde verecundæ firma sua nomina sponsæ;  
 Fortius & quiddam culta virago sonet:  
 Nomine *Parschitus* par sit jus, inquit, amoris:  
 Par par *Barbara* ait nominis ipsa sono.  
 Quæ nova tantarum video miracula rerum?  
 Ut beat, ut mentem res juvat ista meam!  
 Ergone, cuncta quibus diversa videmus in orbe,  
 Non par hoc ipsa secare valent?

Par jus

8

Par jus *Parschitus* tibi, *Barbara*, fecit amoris;  
 Par par *Barbara* id est, nomine teste tuo.  
 O amor! ô fœdus! vincisne quid arctius istis  
 Quis dabit, aut unum corpora bina magis?  
 O quid adhuc aurum, quid adhuc tibi pignora gemmas,  
 Par auro, gemma, dignius, esse cupis?  
 Hoc faciant alii: pius ille, sed utilis hic est  
 Mos minus, ipsa quibus pignora nomen habet.  
 Non hic *Parschitus*, non hæc sibi *Barbara*, amoris  
 Nisi par sit jus, par par nisi semper erit  
 Qui bene conveniunt en ut bene convenit illis;  
 Ac Authore Deo res malè nulla cadit!  
 Scilicet hunc vobis non svasit is ignis amorem,  
 Quo temerat sacrum turba prophana thorum.  
 Non velopes vel honor, vel quæ malè vulgus adorat  
 Cætera, vel mundus turpiter usque litit.  
 Conscia prima rei Pietas, Virtusque; fuisti;  
 Conscia cujusvis Numina prima rei.  
 Omnia nam vestris sordescere prorsus alumnis,  
 Authores facitis quin pretiosa, solent.  
 Ad Divas referunt lecti quoque jura futuri,  
 Sola secuturi complacitura Deo.  
 Sive probare velint tacitos in pectore motus  
 Sive cõire minus pectora juncta placet.  
 Invitis cupiunt fausti non esse Deabus,  
 Invitis faustus nemo Deabus erit,

B

En vestri

9



En vestri facimus, facimus quodcumq; clientes  
Arbitrii, sensus da Sacra biga tuos!  
Si bene nota fides; est si potiusqve priusqve  
Te nihil; est & te si sine dulce nihil.  
Vix ea, dulce Deas simul arridere videres;  
Non orare diu, non dubitare sinunt.  
Qvis curamq; queat, studiumqve referré decusqve,  
Quod dederat thalamo mox Dea magna sacro?  
Ipsa movetqve faces, augetqve fovetq; regitqve;  
Cordis & ipsa faces jactat & ipsa tori.  
Ipsa paratq; torum stabilitq; sacratq; beatqve,  
Se tener huius debet debet adultus amor,  
Inde Parens omnisqve domus sanguisq; monetur,  
Atqve piam dignis ferre moventur opem.  
Nec valet aut Sponsus nihil aut reverentia Divæ:  
Jam certat studiis quilibet ecce piis.  
Muneribus Sponsi, votis cumulatur Olympus,  
Qua se quisq; potest arte probare probat.  
Una tot in studiis mens est, bene nempe mereri  
Unus adest cunctis impetus, unus amor.  
Jamqve faces jactatqve tori, cœtumqve frequentem  
E medio ducit biga sacrata choro.  
Ornamenta, Viros, tua quæ Lar, Curia, Templum!  
Spemqve tuam, pubem, Curia, Tempia, Domus!  
Quos inter matresqve micant, castæqve puellæ,  
Vestra piæ Charites gloria, vester amor.

Oscula

Oscula dat Pietas cunctis & læta salutat;  
Venit in amplexus quilibet atq; Deæ.  
Oratrahunt in se Sponsi: favet omnis ovatoqve,  
Dum videt; & favet ut, quod videt esse, vovet.  
O bene convenient! ô candida fata capessant  
Undiqve par felix *Barbara Parschitius!*  
Aufugiunt Hymen, Junoq; Venusq;, toriq;  
Gentilis reliquæ, turpia monstra, Deæ:  
At Pietas hic sceptrâ tenet, Virtusq;, propago,  
Præstigias nullas numina nata pati.  
Quâ se cunq; movet, natâ Regina sequente,  
Nox fugit & mœror, lis, furor, ira, dolus.  
Sanguinis aut horum vel fœdi turba veneni  
Est quæcumq;, vel hoc sub grege forte meret.  
Lux, Pax, & longa cognatio cætera pompa,  
Divarum ludunt ad latus omne procul.  
Quin etiam, solito formosior, ornat amictu  
Magnifico Sponsis seq; suosq; novis.  
Tota nitet confessa Deam, qualisqve videri  
In Patria, cælo, quantaqve Diva solet.  
Talis obit cunctos, vultus & amabilis offert  
Omnibus, amplectens proxima quæqve sibi.  
Jamqve polum (nam cuncta potest apud una JEHOVAM,  
Nata Dei, natis cura parensq; Dei.)  
Ipsa polum summi recludit tecta JEHOVÆ,  
E cælo veniunt verba patente DEI.

Bz

O decus!



O decus! óserva DEUS isthæc gaudia nobis!  
 O serva natís hæc bõna summe Pater!  
 O decus! at Momúmne torus, momúmne JEHOVA  
 Cernit adhuc; thalamus carnis & audit opus?  
 O scelus! at tantis mentem quid turpia rebus  
 Abripiunt lustris abdita monstra suis?  
 Nec mel mel dices, ad JOVÆ verba; nec ipsum  
 Nectar & Ambrosiam, Nectar & Ambrosiam,  
 His verbis ego Calicolas mentesq; beatas  
 Vivere, sic faustos non aliunde, putò.  
 Mel loquitur noster, sed mel cæleste, JEHOVA;  
 Ambrosiam loquitur, Nectar & Angelicum.  
 Nil ago: mens sentire potest, non lingua referre:  
 Pectora vox vitam fundit in ima DEI.  
 Accipiunt tacitis hanc læti mentibus omnes:  
 Par tamen in primis quod cupis ecce capis.  
 Ore suo thalamum DEUS en sibi vendicat Author:  
 Spondet digna toro se DEUS ore suo!  
 Quid loquor, aut ubi sum: quid pòsteriusve priusve  
 Dicam, lætitiã jam minor ipse meã?  
 O nova res, majorq; fide; nì JOVA sit Author!  
 Fallimur? an Cans nos jam rediviva tenet?  
 Non fallor: video mutari nectare fontes;  
 In Species video res & abire novas.  
 Non modò jam Pietas tenet has & Filia mentas:  
 Hospite cum læto jungitur ipse DEUS.

Me mi.

12

Me miserum! cur charta precòr cur tempora nugis  
 Sunt data? Musa vides deniq; digna cani!  
 Quæ mea Musa canat, quibus impar vestra canendis  
 Deficit Angelici, musa beata, chori?  
 Hæreo, lætitia prope jam percussus ab ipsa:  
 Pergere Musa nequit; Musa tacere nequit.  
 Tantum clamo: vide! gaudere! da vota! beare!  
 O Convivarum, plaude Corona, vale!  
 Hic age, fare, DEUS! jam nil ego, præfer id unum:  
 Sint rata dicta DEI! sint rata facta DEI!

JOHANNES Meltzelius Moravus  
 Gymn. Trench. Con-Rector,

Quo minuit cunctis Autumnus pomifer æstus,  
 Non minuit vestras frigore Mysta, faces.  
 Scilicet æstus hic est cordis non corporis, in quem  
 Autumnale potest frigus & aura nihil,  
 Tollitur haud, esto: sed cur intentitur ignis,  
 Cumq; novo crescit frigore flamma tori?  
 Hos pater Autumnus cur officiosus inignes,  
 Sic thalamos omni dives honestat ope?  
 Quærere cesso. DEI sunt omnia: jusserit ecce  
 Frigora vel flammam, frigora flamma iuvat.  
 Ipse DEUS flammæ, casti Deus Author amoris,  
 Cui sua dat Sponsus cuncta regenda, regit.  
 Oregat & thalamum, regat & Deus omnia Sponsi:  
 Ut certent thalamo cuncta favere pio!

Sors

13

Regl. nymtataványok, 11. távt., Redvány,  
 /319.18.5./







Verba Dei quæ res cunctas sacrantq; beantqve,  
Et thalamum sacrent, Sponse, beentq; tuum!

Joh. Sartoris Brezevic. G. T. Al.

*Elias Parschittus.*

SALIT? HIC PARS EJUS

**C**OR SALIT Eliæ? nil mirum: cernitur EJUS  
En HIC PARS, votum, *Barbara*, nectar, amor.  
Cor saliat precor ELIÆ; pars vivat & Ejus  
BARBARA lux, mel, honos, gaudia, nectar, amor!

Andreas Keveri Thuroc. G. T. Al.

**T**ot Nymphae Viduaeque piæ Juvenesque Virique  
Cum sit. Trenchinio sintque quibusque locis:

Tu mihi sola places mea BARBARA, dicit ELIAS:

Perplacet ELIAS, BARBARA, solus, ait.

Quis facit hoc? quis est qui facit omnia, JOVA, jubente

Quo cœeunt casto fœmina Virque toro.

Gratulor Authorem, thalamum quoque gratulor ipsum:

Vincula JOVA facit Vincula JOVA beet!

Daniel Schkrowina Briznob: G. T. Al.

**P**landuo Sponse; piam teneant age gaudia mentem:  
En datur in thalamos, BARBARA pulchra tuos!

Pectore lætitiæ quoque concipe BARBARA: Sponsus

Infert in thalamos, nomina clara tuos!

At tu, nuptorum qui gaudia JOVA probasti,

Gaudia fac nuptis vera perennè fluant!

Johan; Matula Neczpallten: G. T. Al.

**P**lurima, *Parschitti*, capiens quæ nuptera reddam;  
Prodero quidve toro, ceu mihi tute choro?  
Et nil per sortem mihi cerno licere novercam,  
Alteriusque spei nil aliunde venit.  
At votis fas est publicis accedere: felix  
Pondera ferque chori, vincula ferque tori!

Stephanus Zelnikius Warnensis, G. T. Al.

**S**i pietas est falsa, DEI quæ jactat amorem;  
Conjugiumque, DEI, turpiter odit, opus:  
Impetrat à quovis facile, cui pectus iniquum  
Haude est, cum vero vota favore Torus.  
Qui pius es, dabis hæc; damus hæc quoque jugiter: At tu  
Pondera jam votis adde, JEHOVA, piis!

Matthias Flentis Czernickien, G. T. Al.

*Αντίγραφο*

*Elias Parstij & Barbara Drozdik.*

Zelo *καρίας* arridebat tibi pars.

Exegetis.

**S**unt quos non Conjux, sed conjugis arca movere  
Nupturos, vel honos vanaque gratæ solent.

Stramineus facit huc nodus nil: vincula sponsis

Cor cordi sua, non exteriora ligant.

Zelo arridebat *καρίας*, non simplice motu,

Pars tua sponse tibi, pars tua sponsa tibi,

C.

Ut eos



Ut vos vincula parēs, sic vincula fausta JEHOVÆ  
Efficiat pronus tempus in omne favor!

Johannes Cancrini Prandor.  
Gym. Tren. Alumnus.

**Q**uæ per te Pietas, nec te sine laudat ELIA:  
Respondent lingvæ pectora tecta suæ.  
Et per te tecumq; tori quod vincula mater  
Commendet Pietas, Mysta jat ecce doces.  
Dum quod voce diu, facto quoq; præcipis ipso,  
Deq; toro duplici jam bene parte meres.  
Laudandi duplicas thalami tu munera: fructus  
O duplicet thalamus triplicet atq; suos!

Jeremias Casparides Arv. G. T. Al.

**Q**uid sint, quid valeant pia vota, docere docentem,  
Quod melius disco, non reor esse meum.  
Dasq; faci q; mihi verbis pia vota JEHOVÆ:  
Votum, Sponse, tuum, iam cape munus, opus.  
Quod das quodq; facis gratis tibi reddo vicissim:  
Difficilis donis non potes esse tuis.  
Huic det JOVA toro, torus est quocunq; beatus,  
Non potuit votum plenius esse meum.

Georgius Casparides Arvens. G. T. Al.

**D**ifficiles nimium, fors munera, metraq; Musa  
Ferre vetant, Pietas, nec tamen alma preces  
Quod

Quod superest, rolo, Parschiti tibi serviat, unum:

Quid vetat huic uni pondus in esse sum?

Omnia quin cum dem donum mea, Sponse per unum;

Quis tibi quàm quod do, plus dare Sponse, potest?

Accipe Parschiti facili mea munera Vultu,

Sic habeas faciles in tua Vota Polos!

Isaacus Charapka Zolio Lipzen. G. T. Al

**A**utumnum favet, Autumno pie Sponse litasti;  
En quantas fundit conciliatus opes!  
Dona tot inter adest, majus tamen omnibus unum;  
Ex horto thalami Sponsa pudica sacri.  
O sint fausta precor ter & amplius omnia, Sponsæ  
Dulcia mala pix det bona mala tibi!

Georgius Descōfii de Czernik, G. T. Al

## ELIAS PARSCHITIVS.

Anagramma.

Is par: salve! hic ste.

Exegesis.

**I**S bene par: salve! virtutis tramite castum  
Ad thalamum tendens: Hic ste studiosa JEHOVÆ  
Cui mens est, cæcus malè nec quod ducit in orcum  
Calcet iter, maculans pravus sua corpora flammis.  
Hoc pedetritiviter patrum longissimus ordo  
Abrahamides, Isaac, Jacob, David, omnis ad unum.

C 2

Nec mi.



Nec minuit thalami quin Christus adauxit honores,  
Munificus mensis assedit ut hospes, o hospes,  
Sospes ut hoc par sit, thalami quoque, comprecor, huius!

Wilhelmus Fischer Poseniensis. G. Tr. Al.

Vinea dum dives distendit neclare cellas;  
Vinea, quam plantas, ridet & ipsa DEI.  
Vinea nempe DEI cumulet quo neclare mentem,  
Vinea te cunctos sponse, docente docet.  
Oeat huic thalamo vinum fons omnis in ipsum,  
Vinea quo tecum crescat & ipsa DEI!

Martinus Hambalek Turnensis. G. T. Al.

Omnis & huic aetas Sponso favet omnis & ordo:  
Iure! fovet cunctos Vocibus ille DEI.  
Cum cunctis fauveat Sponso quoque JOVA, precamur,  
Ut soveat faustus voce beatus DEI.

Petrus Alodiatoris Alnovicasis. G. T. Al

Munera non sortis, nimirum mihi semper iniquae,  
Ferre sed est animi fervida vota mei.  
Irrita non volitant, penetrare per aëra vastum,  
Ad summi scimus sidera celsa poli.  
Tale meum sit, JOVA, precor; caeloque refracto  
Evocet in vestros omnia laeta toros!

Nicolaus Hadikius Rajecen. G. Tr. Al.

Undique

Undique par foelix hoc quis neget, utile semper  
Quod sibi, sive cadat res bene sive male?  
Sorte bonam duplici cumulantur gaudia corde;  
Sorte malam duplici robore fertur onus.  
Omnia qui duplicat duplicet quoque, JOVA, favorem,  
Ut duplici duplex crescat amore salus!

Balthasar Słota Solnensis. G. Tr. Al.

Munere quo possim thalamum decorare jugalem:  
Vix scirem, quod dem, des nisi, Sponse, mihi.  
Vocem tuam mihi, Mysta, nocet nihil orbis & orcus;  
Vocem tuam caeli regna beata parent.  
Vocem tuam vox nil Valet haud mea; quo valet, utar;  
Muneribus jam sis, dives ut ipse tuus.  
Diffuam omne malum; Sponsi mihi Vocem patente  
E caelo Sponsis depluat omne bonum!

Adamus Gyŕky de eadem G. T. Al

Quid thalamo Cana parva canat, sine carmine <sup>constat</sup> ~~est~~  
Cuique meo; tu dic quid tibi Mome tori?  
Nempe meros lapides, furcasque cruceque, truceque  
Qui sine sine calent Daemonis igne, focos.  
Egregium facinus! dignumque; vel Hercule summo,  
Quam thalami vestras Tartara, malle faces!  
Non ealams cordi tibi Mysta; volente J.E. HOVA  
Vincula legitimi ferisque probasse; tori.

Sis foelix



*Sis felix; Momoq; velut sua CANA canebat*  
*Vates, Sponse, tibi sic tua CANA canat!*

Valentinus Klisch Leurschoviensis, G. T. A!

**E**LIA, Patrisq; decus Matrisq; voluptas,  
ELIA patriæ splendor amorq;ve domus;  
Ultimus anne rogas veniam cur sanguine primus?  
Qvi speraret, in his ultimus ista, fui.  
Non studii fructum; luctum sperare jubebas?  
Non thalamum; tumulum cura parare fuit.  
Tabæ potente nimis dum membra necata rigerent;  
Dum fera mors lævâ, SUNT MEA, voce tonat.  
Non luctum; varium fructum dat ferre JEHOVA  
Non tumulum; thalamum jam tibi JOVA parat.  
Plena, vide, nuper gemitu, te, gaudia promit,  
Nobilitata patris nobilitanda domus.  
Per luctum fructum qvin crescere cernimus ipsum:  
Per tumulum thalamum cerno nitere magis.  
Non sanum saltem, simul ast in corpore sano,  
Cernere vim morbi fataq; lusa licet.  
Jam gaudent ædesq; Patris sedesq; JEHOVÆ,  
Cresce domusq; Patris, cresce domusq; Dni!  
Perge: DEUS constat sibi: testis & obles,  
Præteritum, locuples, cuncta futura docet.  
In fructum luctum, thalamum tumulumq; fidelis  
Convertit, vertet Sponsus in arce poli.

Pecto-

22

*2. pel. = 10*  
Pectore pectoribus sic vaticinorq; precorq;  
Ultima vota tuis, ultima vota meis.

CHRISTOPHORUS Parfchicius  
Sponsi Germanus.

Gymnasium Lectori.

**N**Os amor in nostros movet, ultimus ultime ne sis;  
Summaq; sint cujus prima fuere Dex.  
Te quoq; ceu cepi bene sic comitabor euntem  
Omnibus o studiis Lector amande mihi.  
Candida cuncta vides; si candida cuncta videntur  
Cui minus, aut sensus non videt ille meos;  
Aut huic candor is est ad quem candere vel ipse,  
Si specie certet, Corvus & umbra queat,  
Convenit omne pari ceu par, disconvenit impar:  
Sic quoq; nigra niger candida candor amat.  
Alter se fingat, pingat, se fraudibus armet  
Ludat & in vultus ambitiosa meos.  
Mendacem jactet ventosa per ora nitorem;  
Quoq; caret quavis venditet arte decus,  
Parte vel arte magis non ullâ clara, pudore  
Quàm pulso, quàm quod fronte proterva caret.  
Nil opus his nobis; genio te, candide, candor  
Qui cor habet nostrum, jam movet ipse suo.  
In Sponsi video, Sponsiq; Parentis amica  
Hospitis & cuncti jam Pia vota manu.  
His placuisse placet, placet & quicumq; Parenti  
Cælesti: reliquis displicuisse placet.  
Nil addo. Tu nosce sonos, ô Lector, & unâ  
Candida vota manu candida fata cape.

FINIS.

23